



**G**Eorgius ex nobili Andlauorum familia natus est, quæ iam inde ab Ottonis tertij Imperatoris tempore, qui primo Electores constituit, inter quatuor Imperij equites connumerata fuit. Is ergo in optimis literis educatus, atq; uarias Academias secutus in uirum doctissimum euasit. Erat præterea insigni pietate & prudentia præditus. Itaque anno millesimo quadringentesimo decimo sexto Basiliensis ecclesiæ Cathedralis Canonicus & paulo post præpositus creatur, licet adhuc iuuenis existeret. Nam annorum paucitatem, grauitate morum & omnis generis uirtutibus compensauit. Propterea huius uiri authoritas in Constanti-

ensi & Basiliensi Concilio magna extitit. Hinc factum ut etiam Collegium Lutenbacense in Alsatia eum quoq; suum præpositum elegerit. Cum itaque postea anno millesimo quadringentesimo sexagesimo à Pio secundo pontifice, qui prius Aeneas Syluius & in Concilio Basiliensi publicus notarius fuerat, uniuersale studiū ad formā Academiæ Bononiensis Basileæ erectū, & priuilegijs confirmatum fuisset, atq; iam undique doctissimi uiri liberalibus stipendijs acciti ex alijs Academijs confluxissent, omnes in unum locum conuenerunt, ut de primi Rectoris electione ageretur.